



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 77. Synodus Nationalis in Polonia per Commendonum impedita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

spirabant, e regno expelleret, hacque ratione eo facilius indigenarum licentiam reprimere, ac impedire posset, ne violentia Sacerdotibus, aut Ecclesiis quovis pacto inferretur.

§. LXXVII.

*Synodus Nationalis in Polonia per  
Commendonum impedita.*

Gratian.

cap. 10.

Pallav. c. 13.

num. 1.

Cum Ucangius Archiepiscopus Nationis suæ Synodum congregare statuisset, in qua Religionis controversiæ dirimerentur, atque haud consulta Pontificis auctoritate fides ad Regni consuetudines, & utilitatem accommodari posset, Nuntius comperto Archiepiscopi consilio, ejusque machinationibus omnem curam, suamque dexteritatem eo impendit, ut Regem ad inhibendam ejusmodi Synodum induceret: nec frustraneus erat Commendoni conatus; quippe Rex, cum quietis studiosus, tumultus, & seditiones in regno suo suscitari summopere abhorreret; quamprimum hanc rem in Senatu exponi percipiebat, mox propositionem penitus rejecit, palam professus, quod quicquam in rebus Ecclesiasticis decernere suam excederet potestatem: nihilominus Ucangius nihil animo fractus, ut suum finem consequeretur, in sequenti artificio opem quærebat: cum enim

Triden-

Tridentina Synodus cunctis Archiepiscopis præciperet, ut cum Provinciæ suæ Episcopis una congregatis conferrent, junctaque opera ad Ecclesiarum Regimen necessaria decernerent, hinc Ucangius hanc occasionem perversis suis consiliis accommodam adhibere, ac jactato Synodi decretis obtemperandi obtentu Concilium Nationale convocare statuit, sui que animi propositum Commendono manifestavit: equidem omnes ceteri Episcopi, probique Viri ejusmodi conventum exoptabant, imo ipsemet Commendonus Papæ Nuntius huic rei sese non opposuisset, nisi Ucangii indolem, atque iniqua ejusdem consilia sibi perspecta habuisset, ne tamen sibi crimini dari posset, perinde ac si tam salutari, atque ab omnibus pie sentientibus approbato operi oblectatus fuisset, hinc Synodum Petricoviæ convocari consensit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1564.

§. LXXVIII.

*Gnesnensis Archiepiscopi hanc Synodum urgentis artes a Commendono dissipatæ.*

Interea Commendonus cuncta Archiepiscopi molimina vigili oculo explorabat, cum autem comperisset, quod ipse clam hæreticos conquireret, eorumque antesignanos huic Synodo interesse vellet, mox de tota rei serie Regem

Grat. l. c.